



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**



## CAPUT III.

§. I. *De metu, & concupiscentia in ordine ad voluntarium, & involuntarium.*

PET. I. **A**N metus causet involuntarium simpliciter?

R. *Negative: Quod enim ex metu fit, simpliciter est voluntarium, quia omnibus considerata voluntas illud amplectitur; verum sano sensu causat involuntarium secundum quid, eò quòd causet actum, qui à parte rei involuntarius est, qualis est projectio mercium in mare.*

2. *An metus gehennæ, & pœnarum infernalium adeo queat esse intensus, ut peccandi voluntatem penitus excludat?*

R. *In Justis, in quibus non præexistit in peccatum affectus, metus hanc potest habere efficaciam. Non enim est in carendo difficultas, si non sit in habendo cupiditas.*

*Si sermo sit de peccatoribus, quorum cog non nisi difficulter avellitur à mundi illecebris, hanc efficaciam metui ad ultimum gradum intenso denego. Peccati desiderium non exstinguitur, nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur. Aug. contra advers. legis cap. 7. Illa autem voluntas peccandi non profluit ex metu secundum se bono, sed ex affectu in peccatū præexistente.*

3. *Quid est concupiscentia?*

R. *Est Passio, seu motus appetitus sensitivi, quo ad prosecutionem alicujus rei inclinatur.*

Di-



Dividitur in antecedentem, & consequentem respectu *Operis*, & in antecedentem & consequentem respectu *voluntatis*.

4. Quæ est concupiscentia antecedens, quæ consequens respectu operis?

R. *Antecedens* est, quæ voluntatem inclinat ad agendum, & consequenter est causa operis subsequenter. *Consequens* est, quæ non est causa operis, sed ex illa potius nascitur.

5. Quæ est concupiscentia *antecedens*, quæ *consequens* respectu voluntatis?

R. *Antecedens* est illa, quæ ex sola apprehensione objecti delectabilis oritur in parte sensitiva, absque ulla intellectûs deliberatione, vel consensu voluntatis. *Consequens* respectu voluntatis est, quæ libero voluntatis consensu deliberatè excitatur, vel excitata continuatur.

6. Quomodo se habet *concupiscentia antecedens* respectu operis ad voluntarium?

R. Auget voluntarium, sed minuit liberum. Ratio primæ partis est, quia concupiscentia blandè, fortiterq; voluntatem allicit, & inclinat, ut majori cum conatu, & fervore in objectû feratur.

Ratio 2. partis est, quia *concupiscentia* minuit cognitionem, & prudens iudicium.

7. An concupiscentia subinde minuat voluntariû?

R. Aff. Quando voluntas agit contra inclinationem *concupiscentia*, ut dum *concupiscentia* incitat ad malum, & voluntas interim fertur in bonum; tunc enim concupiscentia facit, ut voluntas in bonum inclinetur languidiùs.

8. Quid



8. Quid dicendum de *concupiscentia consequente* respectu operis ?
9. Illa nec auget, nec minuit *voluntarium*, vel *liberum*; est enim posterior opere voluntario, & libero.
9. An habitus, sive boni, sive mali, item bonæ, vel malæ consuetudines augeant voluntarium?
10. Aff. Quia experientiâ constat, quòd illi habitus efficiant, ut voluntas majori propensione, & conatu intensiori operetur, quia majorem in operando adferunt facilitatem.
- Nec refert, quòd illi habitus diminuunt liberum, quia & ista diminutio libertatis voluntaria est, sicut & ipsi habitus.
10. Quomodo peccat ille, qui *consuetudinem* habet pejerandi, quam se habere advertit, nec conatur exuere?
11. Peccat mortaliter propter occasionem proximam peccati, cui se exponit.
11. An peccatum ex *consuetudine* sit gravius altero, quod non fit ex consuetudine?
12. Aff. Quia *consuetudo* voluntaria signum est animi in malo obfirmati, & consequenter circumstantia ista in confessione est exprimenda.
12. Quid judicandum de eo, qui efficaciter conatur pejerandi consuetudinem contractam evellere, & interim ex inadvertentia pejerat?
13. Perjurium istud erit tantum materiale, non formale, quia non est amplius voluntarium, neque *in se*, ut supponitur, neque in causa, quia consuetudo est retractata.



## §. 2. De Ignorantia.

**I**gnorantia est *carentia scientia, seu notitia in* *subjecto illius capaci.* Hæc triplex est: *Negativa, privativa, & prave dispositionis.*

*Negativa dicitur: Carentia notitia non debite inesse, ut ignorantia jurium matrimonialium in virgine &c.*

*Privativa est, carentia notitia debita inesse, ut ignorantia articulorū fidei in homine christiano.*

*Ignorantia prave dispositionis, quæ alio nomine error vocatur, est iudicium intellectus assentientis falsis, tamquam veris, aut contrā; ut iudicium quo quis sibi persuadet, Beatissimam Virginem Mariam in peccato originali fuisse conceptam.* Ignorantia ratione objecti dividitur

*In ignorantiam juris, & facti.* Ignorantia juris est, *quando ignoratur lex, vel præceptum, & hæc pro diversitate legum dividitur in ignorantiam juris naturalis, & positivi, seu divini, seu ecclesiastici, seu civilis.* Ignorantia facti est, *quando ignoratur ipsum factum, seu actio, vel circumstantia illius, ratione cuius cadit sub legem; ut si quis hominem perimat, non hominem, sed feram esse existimans.*

Dividitur ignorantia ratione subjecti, in quo est, in ignorantiam vincibilem, & invincibilem. Invincibilis est, *quam quis vincere non potest adhibitis omnibus, quæ potest, & debet adhibere ad eam superandam: vincibilis à contrario definitur.*

Ignorantia vincibilis dividitur in *affectedatam,*  
cras-



*crassam, supinam, & simpliciter vincibilem.* Ignorantia affectata est, quâ quis expressè legem ignorare vult, ut liberius peccet: hæc directè est voluntaria.

Crassa, & Supina sunt tantùm in causa voluntariæ, ut quando quis negligit debitam adhibere diligentiam, ut ignorantiam vincat. Si ignorantia difficulter superari possit, dicitur *simpliciter vincibilis*; si facilè vinci queat, *crassa*; si facillimè, *supina*.

1. Quomodo dividitur ignorantia in ordine ad opus?

R. In *antecedentem & concomitantem*. Antecedens respectu operis dicitur illa, quæ est causa operis, scilicet per modum removentis prohibens; removet enim ab intellectu scientiam, quæ si adesset, actus non poneretur.

Ignorantia *concomitans* respectu operis est, quæ quidem conjuncta est operi, non est tamen causa illius, quia equidem opus fuisset positum, tametsi ignorantia abfuisset. Talis est in eo, qui ratus feram esse, inimicũ occidit, quem equidem occidisset, licèt inimicũ esse scivisset.

2. Quomodo dividitur ignorantia in ordine ad voluntatem?

R. In *antecedentem, & consequentem*. Antecedens est, quæ nullo modo est voluntaria, nec directè, nec indirectè. Consequens respectu voluntatis dicitur, quæ voluntaria est.

3. Quis est effectus ignorantie antecedentis respectu voluntatis, & operis?

B 2

R. Quod



R. Quòd actio, quæ ex tali ignorantia fit, sit simpliciter involuntaria secundùm id, quod in ea involuntariè ignoratur.

Dictum est, secundùm id, quod in ea ignoratur: quia licèt Judas cognoscendo Thamar incestum non commiserit, quia eam nurum suam invincibiliter ignoravit, fornicationis tamen reus fuit, quia eam scivit non suam.

4. Quis est effectus ignorantia consequentis respectu voluntatis?

R. Non causat involuntarium simpliciter; quia cum talis ignorantia voluntaria sit, etiam effectus ex ea secutus voluntarius saltem est in causa.

Notate pro praxi, quòd si ignorantia, quæcumque illa sit, si antecedit opus, & sit omninò involuntaria, etiam effectus sit involuntarius; & eo modo effectus est voluntarius, quo ignorantia est voluntaria. Si ignorantia gravis, etiam effectus graviter culpabilis est, &c.

5. An ignorantia sit quandoque formale peccatum distinctum ab eo, quod per eam fit?

R. Aff. Quia sicut omittere, quod quis tenetur facere, est peccatum omissionis, ita nescire, quod quis tenetur scire, peccatum est ignorantia. Hinc qui fornicatur, ignorans fornicationem esse peccatum, duplex committit peccatum.

6. Potèstne dari ignorantia invincibilis juris humani, & juris positivi divini excusans à peccato?

R. Aff. Quia eorum notitia dependet ab aliquo, quod



quod non est in nostra potestate, nempe ab auditu, & promulgatione.

7. An ignorantia invincibilis juris naturæ excuset à peccato?

ꝛ. Aff. Si talis ignorantia detur: tollit enim omnem voluntarieratem respectu malitiæ actionis. Ita declaravit Alexander VIII.

Inquirunt Theologi, an talis ignorantia detur. Conveniunt, quòd non detur, quantum ad illa generalia præcepta: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris &c.*

Schola Augustiniana sustinet, quòd illa ignorantia non detur, etiam quoad remotiora præcepta, quæ non nisi valdè difficulter exprimis principiis deducuntur, quando nimirum hîc, & nunc est agendum.

Ratio est: quia vel justus est, vel peccator; si justus, Deus gratiam non subtrahit, nec sufficiens lumen, quo videat æquitatem &c. sui contractus &c. Si peccator; dat causam ignorantie per admissionem obstaculorum, & amissionem gratiæ necessariæ.

8. An illa ignorantia invincibilis, si admodum difficulter sit vincibilis, peccatum diminuat?

ꝛ. Aff. Manifestum est, quòd non tam graviter delinquat, qui ægrè admodum deprehendere potest actionis suæ malitiam, quàm ille, qui eam cognoscit, aut facilè potest cognoscere.

9. An detur ignorantia invincibilis facti, etiam in jure naturæ?

ꝛ. Aff. Unde qui ducit uxorem alienam, nesciens



esse alienam, tunc demum fit adulter, ubi eam alienam esse cognoscit, nec tamen discedit.

10. An ad formale peccatum requiratur actualis reflexio, vel dubium de malitia actus?

R. Neg. Sed sufficit, quod homo ponat actum, cui malitia est annexa, quam cognoscere potest, & debet. Hinc *contraria sententia est contra communi religionis Christiana principia, qua etiam immanissima peccata excusat cum pernicie animarum.* Ita facultas Theologica Lovan. anno 1657.

## C A S U S VI.

*Quid agendum Confessario deprehendenti pœnitentem laborare ignorantia articulorum fidei scitis necessariorum, & quidem necessitate medii?*

R. Attendendum esse originem: quandoque enim habetudo oritur ex peccato, cui alligatus est, & hinc præsumendum, quod cæcus sit per peccata, ut ait S. Thom. 2.2. q. 15. a. 1. & 3. Confessario allaborandum est, ut tollatur impedimentum, proponendo peccati fœditatem, pericula, damna &c. adhibitis efficacioribus divinarum literarum testimoniis, deinde mysteriis fidei imbuere.

Quandoque oritur ex eo, quod animus totus transitorius & terrenis immerfus non elevetur ad sublimiora fidei arcana, ut contingit sæpè in agricolis, qui animi sui intentionem non ultra agrum & ligonem protendunt, & his proponendum, quod non tantum salvari non possint illi, qui in graviora labuntur crimina, sed neque hi,  
qui



qui majorem corporis curam gerunt, quàm animæ, qui Deum, aut cælestia numquam, aut rariùs cogitant &c. proponendo fidei necessitatem ad salutem &c.

Quandoque ignorantia procedit ex naturali complexione, quod prudens confessarius colliget ex eo, quòd etiam in aliis rebus cogitandis, retinendis, atque agendis rudis sit. Si cum timorata reperit conscientia, & horrorem à peccato habentem, seque, ut instruatur, paratum exhibentem, adhuc tamen post instructionem hebes maneat, poterit ipsi absolutionis beneficium impendere, præviè tamen prælegat actus fidei, moneatque, ut iisdem verbis, quibus prævit confessarius, illos efformet.

Ruditas quandoque ex senio provenit; inquirendum, an fidei mysteria juvenis tenuerit, & christianè vixerit; quòd si ita, sine anxietate potest illi (si nihil aliud obstat) Sacramenta administrare, præformando illi actus fidei &c. Si verò nec ante ista satis sciverit, nec satis Christianè vixerit, laborandum est, ut saltem illa discat, priusquam Sacramenta administrentur. Si verò non speretur fore, ut cum senio hebetudo ista minuatur, timeatur verò ne crescat, temporì providendum est, ne factus sensim ignorantior, postea cum minoris dispositionis verisimilitudine Sacramenta suscipere cogatur.

## CASUS VII.

*Quidam, in juventute carnis spurcitiis deditus, sapius mollitiei committit peccatum; vadit ad con-*



*essionem uerato, alia commissa confitetur, non accusando se de pollutionis peccato, eò quòd nullam in eo deprehendat malitiam. Postea fœditatem eius ex confessario cognoscit. Quid agendum?*

*v.* Ordinariè talem inducendum ad confessionem generalem, in qua explicare oportebit, quoties à peccati istius commissione Sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ suscepit. Ratio est, quia in similibus admitti non potest ignorantia: unde sicut malitiam cognoscere potuit, ita eam in confessione exprimere debuit.

Deinde meritò præsumitur, quòd similia reticeantur non ex ignorantia, sed ex verecundia. Hoc declarabit sequens

## M E T H O D U S

Examiniandi Pœnitentem circa fœdæ pollutionis peccatum.

**H**anc tradit Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, vir pietate juxta & sollicito salutis proximi desiderio illustris. Consideratione nonâ summopere cavendum jubet, ne Confessarius simul atque peccatum quoddam gravius inaudit, se admirabundum, tristem, vel austerum exhibeat; per hujusmodi namque mox claudios pœnitentis existimat. Principio itaque affabilem sermonem, vultum sub-blandum, eumque in spiritu lenitatis (monente Apostolo) agendi exigit modum, quo pœnitenti, candidè peccata sua detegendi, fiat omninò fiducia. Huc non parum



rum facit, si pœnitens subinde nonnihil laudetur à candore, quo statum suum notum facere cœpit, & conscientia sinum usque eò aperire.

Hoc vel maximè opportunum est, quando Confessarius prospicit peccata magis pudenda secutura. Hortetur ipsum ut candidè peccata aperiat, nihilque tam occultum, tam pudendum dici posse Confessario, quin istud, & eò graviora, magisque pudenda jam pridem, vel ex aliis vel in libris legerit.

„ Procedat (subjicit Gerson, confid. 12.) Confessor in inquisitione peccatorum, & specialiter peccati carnalis (quod à multis cum summa difficultate vix potest extorqueri) primò pedetentim, & à generalioribus incipiat, & quæ nullam, aut paucam videantur includere culpam. „

Confid. 15. „ Sciat Confessor generalitates esse has, & similes: fuisti umquam in societibus famulorum, aut sociorum? & specialiter in lecto? Si sic: audivisti umquam malum, (ut sæpè fit) loquendo de impudicitia, & mulieribus? si sic: loquebaris tu similiter, & si mala desiderabas? & si sic: utrùm voluerit umquam quòd tangeres eum inhonestè, vel ipse te? si sic: fiat processus ulterior sub velamine tali, quòd intelligat, an commissa fuerit ibidem mollities, siye pollutio: & hoc peccatum, (inquit) benè committitur ante pubertatis annos.

Confid. 16. hoc adjicit monitum: „ Nec aspicat fixè vultum pœnitentis Confessarius in ista



„pudenda inquirens, sed divertat Confessor  
 „vultum suum, quasi non curans, dicendo, ego  
 „benè video, tu fecisti sic, & sic: „ consequen-  
 ter dic ergò totum.

Post hæc consideratione 17. examinis hujus  
 necessitatem adstruit. „ Utinam, inquit, mala  
 „ à pueris & aliis tam diligenter confiterentur,  
 „ quàm sciuntur & aguntur ab eis. „ Si mani-  
 festato peccati vulnere asserat pœnitens se igno-  
 rârâsse actum pollutionis esse peccatum, eum in  
 hunc modum convincat, inquirendo, an hujus-  
 modi fœditates committere auderet in conspectu  
 proborum hominum, an, quæ fecerit, auderet  
 revelare: interroget, quare sollicitè latebras quæ-  
 rat, ne deprehendatur &c. deprehendet quòd  
 indita sit ad minus turpitudinis suspicio. Postea  
 „ debet cum summa detestatione peccatum tale  
 „ damnare, quasi non caderet etiam in hominem  
 „ tale aliquid agere. „ Denique consideratione  
 19. ita loquitur: „ Congruit, prout expertus  
 „ sum, quòd parvuli adolescentes masculi priùs  
 „ interrogentur modo dicto de cohabitatione  
 „ sociorum, & famulorum, tamquam de his, quæ  
 „ primâ fronte minùs horrent, quia minùs inso-  
 „ lita sunt: postmodùm quærat de cohabita-  
 „ tione mulierum, & primò, si umquam in ætate  
 „ quinque, sex, septem annorum, vel eò circa  
 „ jacuerint cum ancillis, sicut mos est puerorum,  
 „ & hîc conformiter inquiretur non solùm de  
 „ ancillis, sed etiam de genere proximiori, ad  
 „ qualia non descendatur, nisi quasi subitò, &  
 „ à la-



„à latere, dicendo sine mutatione vultûs: ô bo-  
 „ne! video quòd similiter fecisti cum talibus,  
 „& talibus &c. „

Fœminis similiter faciendæ sunt interroga-  
 tiones, priùs de cohabitatione mutua secum, hoc  
 est, an habitent cum aliis puellis, num habitent  
 cum personis alterius sexûs &c. conformiter ad  
 suprâ dicta. Concludit laudatus Author: „ Ego  
 „ coram Deo testor, me plures talibus remediis  
 „ induxisse ad confessionem, qui fatebantur,  
 „ numquam etiam in articulo mortis fuisse talia  
 „ dicturos cuicumque: laudabant tamen Deum  
 „ totis visceribus, gratias agentes, quòd ita se  
 „ aperuerunt.

## CAPUT IV.

*De circumstantijs Actuum humanorum.*

**A**ctuum humanorum circumstantias apprimè  
 noscat confessarius, quæ videlicet mutant  
 speciem, quæ intra eandem speciem notabiliter  
 aggravent, vel diminuunt. Hinc si pœnitens,  
 cuius status non habetur cognitio, sua generali-  
 ter exponat peccata, inquirat primò, an sit ux-  
 oratus, an voto castitatis Deo adstrictus, &c. quan-  
 tum furatus fuerit, ut juxta qualitatem morbi,  
 congrua præscribat remedia, & juxta magnitu-  
 dinem delicti, salutarès pœnitentias.

- I. Quot sunt circumstantiæ actûs humani?
- R. Principales sunt septem hoc versu compre-  
 hensæ:

*Quis, Quid, Ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quâda,*  
 Cir-